



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,
Academicarum Contemplationum Lib. X**

Piccolomini, Francesco

[Basel], 1590

VD16 ZV 12463

De Mundo corporeo. Cap. 5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12918

ius est semen, cum postrema perfectione; sed
via ad illud. Accedit postremò, quòd Anima
dicitur propriè principium motus in loco;
Natura verò est propriè principium genera-
tionis. Et hæc satis de Natura.

De Mundo corporeo.

CAP. V.



Voniam Natura in corporibus ver-
satur, & nobis de attinentibus ad
corporeum mundum futurus est
sermo: iure merito confusè primò,
ac vniuersè de corporeo mundo loquemur;
vt innox ad magis propria deuenire valeamus.
Ordiam autem à variis mundi significationi-
bus; vt, de quo sit sermo, magis reddatur con-
spicuum. Vniuersum id esse dicitur, in quo
cuncta in vnum versa sunt, & quod cuncta mo-
do sibi consentaneo includit. Et quoniam va-
riis modis possunt in aliquo cuncta inueniri;
propterea multiplex confurgit vniuersum.
Nam primò vniuersum duplex est, vel incor-
poreum, vel corporeum. Vniuersum incorpo-
reum adhuc multiplex est: nam vel est vniuer-
sum solùm in eminentia, & causa; in qua ac-
ceptione ipsum vnum, hoc est, Deus, est vni-
uersum: vel est vniuersum in forma exemplari;
sic mens prima, & singulæ subsequentes,
sunt vniuersum; in singulis enim omnes rerù
ideæ inueniuntur. Hoc est vniuersum, quod
verè est ideale, ac intelligibile. Datur in tertio
gradu vniuersum in rationibus positum, ad
animas

animas pertinens: singulæ enim animæ rationis compotes, includunt rerum omnium rationes; & propterea tot sunt mûdi rationales, quot animæ. Altera ex parte vniuersû corporeû, vel per corpora extensû, multiplex est: Nã vel est vniuersum absolutè, vel in parte. Si absolutè, hoc duplex est: nã vel est vniuersû seminarium; & hoc est natura in vniuersa materia cõsiderata, in qua insunt semina omnium: vel est vniuersum iam ad frugé deductum; & hoc est aggregatû ex vniuersa materia, & idearum participatione. Si verò est vniuersum corporeum in parte, hoc multiplex est: nam vel est vniuersum igneum, & purum; & huiusmodi est cœlum, in quo eminentiæ, & puritates elementorum inueniuntur, redactæ modo aliquo in naturam & conditionem ignis: vel est vniuersum impurum, & tenebricosum; & hoc est mûdus mortalis, in quo cuncta inueniuntur, sed cum conditione mortali. Ideò dixit Iamblicus, in cœlo esse terrena, sed modo cœlesti; in terra cœlestia, sed modo terreno. Insuper, vnumquodque elementum, ex sentetia Platonis, est vniuersum; quoniam in singulis sunt omnia: non enim corporea elementa, pura sunt; sed denominantur à superabundanti; adeò, vt detur vniuersum æthereum, vniuersum aereum, aqueum, & terreum. Deinum tot mundorum; totque vniuersorum, voluit optifex compendium, & veluti epilogum constituere: huiusmodi autem est homo, in quo sin-

Q 2

guli enumerati mundorum gradus, modo homini conuenienti inueniuntur: quos cum in homineter maximus Mercurius cōspexisset, iure exclamauit: O homo, admirabilis nature artificium. Patet, quid de mundorum gradibus, ex sententia Platonis dicere debeamus: qui per fundamenta, & principia Peripatetica, concedi omnes nō possunt; præsertim, quia Arist. nec ideales, nec rationales, nec seminarios mundos ponit: sed eos potius pro facultate variis rationibus reicit: nec ita singula esse in cælo, & in singulis elementis existimat, ut Plato. Propterea Arist. ex enumeratis concedit mundum incorporeum, qui est omnia in eminentia: Ex corporeis, ponit mundum pro vniuerso corporeo. Insuper admittit mundum paruum, metaphoricè mundi nomine designatum: Cælum concederet esse mundum corporeū, sola eminentia cætera corpora continens; non ita tamen, ut modo aliquo formas quatuor elementorum includeret redactas ad igneam puritatem. Quare ita dissentiunt, ut ratione diuersitatis principiorum conciliari nequeant.

Quomodo Mundus sit vnus.

CAP. VI.



I ad nuper dicta conuertimur, variasque mundi significationes, mundorumque gradus consideramus: optimè percipiemus, mundum & vnus,